

medij cœli, quando prædictæ stellæ sub uno circulo positionis iacent, est 177. graduum ferè. Subtraho nunc ascensionem rectam Solis ab ascensione recta medij cœli, remanent 296 gradus, qui per 15 diuisi, ueniunt horæ 19 minu. 44 post meridiem illius diei, cuius locum Solis acceperas &c.

Quantum eleuatur polus mundi arcticus supra circulum positionis stellæ cuiusuis, aut alicuius puncti in cœlo signati experiri.

CAPVT LIX.

Quamuis inuentio huius negotij singillatim cœpto operi minime inferuiet, quippe quod hæc & plura alia arti directoriæ attinētia, passim etiã in opusculo tradita, in organo hoc siue globo ultro se ac in promptu operanti offerunt, ea tamen ponere libuit, quo apertius quisq; huius rei audus, fundamenta tabularum primi mobilis nancisci ualeat. Erit enim eius inuentio utilis & necessaria pro sequentis problematis deductione. Est itaq; eleuatio poli mundi arctici, supra circulum positionis (ut Ioannes de monte regio asserit) arcus circuli magni à polo mundi arctico, ipsi circulo positionis ad rectos angulos incidens, quem hoc pacto in præsentī organo siue globo emetiri licebit. Fac unam quartam armillæ, ad instar quartæ altitudinum, quæ tamen pede non indiget, habeat autem diuisiones, ut quarta altitudinum, cuius numeri descendant à polo mundi arctico horizontem uersus, cui etiam polo applicetur quarta hæc, ita quòd clauus siue axis mundi per foramen eius transeat, & hoc sub concauo armillæ meridianæ, & quod libere hinc inde possit moueri, & sic est deposita pro opere isto. Hoc igitur (ubi res possit) hoc modo utare, ordina ascendens tuæ figuræ cœli ad partem horizontis orientalem, deinde applica semicirculum positionis loco stellæ uel puncto cœli, cuius quæris eleuationem poli mundi arctici supra circulū positionis, & serua eundem ita fixè, cui & deinde applica quartam iam memoratam ad rectos angulos iuxta gnomonem, & uidebis ibidem, iuxta lineam fiducia circuli positionis certum numerum, qui se abscindit cum tali quarta, qui eleuationem poli mundi arctici, supra circulum positionis stellæ uel puncti cœli declarabit. Vel aliter, circulo positionis sic in certo loco posito, accipe circinum, cuius pedem immobilem locabis directe ad polum mundi, reliquū mobilem scilicet admoue circulo positionis in breuissima eius, ad eundem circulum positionis extensione, huius sic extensi circuli intercapedinē applica gradibus Zodiaci uel æquatoris, nam numerus graduum intercapedinis, erunt eleuationis poli mundi arctici, supra circulum positionis in tali dispositione globi.

Dato quocunq; ascendente in horizonte quolibet reliquarum domorum initia artificialiter elicere.

CAPVT LX.

Problema hoc 24. tabularum directionum clarissimi Ioannis de monte regio, quamuis in præcedentibus problematibus huius 48. atq; 52 satis & sufficienter determinatum sit, erit tamen unum superaddendum in hoc loco, cuius gratia etiam hoc problema assumptum est, quod ut cognitu facilius reddatur, inquit idem doctissimus uir, paulo distantius ordiendum est. Solent egregij astrorum iudices uitam parentum, ex genitura filij primogeniti, &